



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Distinct. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Deum, & homo propter hominē. Quod si difficile intelligitur, mēs fide purgetur à peccatis abstinēdo, & bona operando: difficilia n. sunt hæc. Idē in li. de fide ad Petrum, Dei filius cum sit Deus ætern⁹ & verus, pro nobis factus est homo verus & plen⁹.

In eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam: In eo verò plenus, quia & carnē huma-

nam suscepit & animam rationalē. Item, nō ad aliud fuit illa Dei summi susceptio vel exinanitio, nisi formę seruilis inest naturę humanę susceptio: vtraq; ergo est in Christo forma, q̄a vtraq; vera & plena est in Christo substantiā diuinā scil. & huma-

na natura: Idē in li. contra Maximinum, cum esset p̄ se ipsum inuisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de scēmina suscipere dignatus est. Idem in eodem. Nos Christum dominum verū hominem suscepisse credimus, & in ipso visibiliter inuisibilē

hominibus apparuisse: in ipso inter homines conuersatum fuisse, in ipso ab hominibus humanā p̄tulisse, in ipso homines docuisse. Hilarius quoq; in 10. lib. de Trinit. ait. Quomodo Dei filius natus est ex Maria, nisi quod verbum caro factum est, scilicet, quod filius Dei cum in forma Dei esset, formā serui accepit: Vnum tamen eundemq; non Dei defectio-

ne, sed hominis assumptione profiteamur: & in forma Dei propter naturam diuinam, & in forma serui ex conceptione spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tantum hominis, sed vt hominis, neq; caro illa caro peccati, sed in similitudine carnis peccati. Audistis tres secundum diuersos positas sententias, & pro singulis inducta testimonia.

POSITIS SENTENTIIS PROLATISQVE TESTIMONIIS intelligentias propositarum locutionum exequitur secundum singulas sententias, & prius secundum primam.

* *

M m 3 DIS-

Ibid. in fin.

cap. 2.

Aug. lib. de

fide contra

Manichæos

in princ.

c. 22. tom. 6.

In eod. lib.

contra Ma-

nichæos in

princ. ca. 6.

Hilar. ante

med. lib. 10.

Ibid paulo

inferius.

*Orig. a til-
lud. Factus
ex se sine
David se-
cūdam car-
nem ad
Rom. 1.*

SECUNDVM primam vero dicitur Deus factus homo, & homo factus Deus: quia Deus cepit esse quædam substantia rationalis, quæ ante non fuerat & illa substantia cepit esse Deus, & hoc gratia, non natura vel meritis habuit. Vnde recte dicitur Christus, in quantum homo prædestinatus esse filius Dei: Huic autem sententiæ opponitur. Si illa substantia cepit esse Deus, & Deus illa: quædam ergo substantia est Deus, & quæ non semper fuit Deus & quædam substantia est Deus, quæ non est diuina substantia: & Deus est aliquid, quod non semper fuit. Quod & illi concedunt. Origenis testimonio innitentes, qui ait, Factus est sine dubio id quod prius non erat. sed addidit, secundum carnem. Secundum Deum vero erat prius, & non erat quando non erat. Aliis quoque pluribus modis illi sententiæ potest opponi: quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes, & ad alia properantes.

Hic explanat secundam sententiam, etiam earundem locutionum sensus.

IN secunda vero sententia huius dilectionis talis videtur ratio, ut cum dicitur Deus factus est homo intelligatur cepisse esse subsistens ex duabus naturis vel tribus substantiis: & è conuerso, homo factus est Deus: quia subsistens in duabus naturis cepit esse Deus: vel potius homo factus est Deus, & econuerso dicitur, quia Deus assumpsit hominem, & homo assumptus est à Deo. Vnde Aug. dicit in lib. de Trin. Talis fuit illa susceptio, quæ hominem faceret Deum & Deum hominem. Variatur autem intelligentia, cum dicitur, Deus est homo, & homo Deus. Dicitur enim Deus esse persona subsistens in duabus, & ex duabus naturis: & persona subsistens in duabus, & ex duabus naturis dicitur esse Deus, id est, verbum vel natura diuina. Potest enim predicari persona simplex vel natura de persona composita, Non est autem
vt ait

*Lib. 1. in
prin. c. 13.*

vt ait Ioan. Damasc idem dicere naturam vel personam.

Ex quo sensu dicunt Ch. istum prædestinatum. O

ISTI dicunt Christum prædestinatum in quantum est homo, id est, in quantum est subsistens ex duabus substantiis, scilicet, anima & carne. Nam quantum ad naturam diuinitatis, non est ipse prædestinatus. Non ergo in quantum in ea vel ea subsistit, prædestinatus est: sed in quantum subsistit in aliis duabus substantiis, id est, in anima & carne, hoc est in quantum est homo.

Quomodo exponuntur auctoritates primæ, quæ isti videntur obuiare sententiæ. D

Determinant etiam auctoritates quæ primæ cōueniunt sententiæ, & huic videntur contradicere cum legitur, homo ille assumptus est à verbo in singularitate personæ, vel factus vna persona cū verbo, de natura humana intelligatur, quæ verbo vnita est in singularitate personæ, i. ita quod eadem persona quæ prius erat & simplex erat, sine incremento numeri personarum etiam immutata permansit, licet composita. Compositionis vero huius aliam dicunt esse rationem quam sit in aliis hominibus, quia huius ex tribus aliorum ex duabus substantiis est cōpositio. Negant quoque naturam humanam esse personam vel Dei filium: & sicut vnū eundemque dicunt esse hominem & Deum, & filium hominis & filium Dei: ita vnū & idem, nō aliud & aliud, sicut nec alium & alium.

Quædam ponit quæ præmissis videntur aduersari. E

SED his videntur aduersari quæ subditis continentur capitulis. Ait enim Aug. super Ioan. Aliud est verbum Dei, aliud homo: sed verbum caro factum est, i. homo: non itaque alia verbi, alia est hominis persona, quoniam vtrunque Christus, & vna persona. Item ad Felicianum. Aliud Dei filius, aliud hominis filius: sed non alius. Item Dei filius, aliud de

Ad illud Ioan. 14. Nemo venit ad patrem. Tract. 69. in tomo 9. Lib. contra Felicianum. f. 6. 11.

*Ibid. ca. 12.
ad finē, t. 1.*

patre, aliud de matre. Item in libro primo de Trinitate. Cum filius sit & Deus & homo, alia substantia Deus, & alia homo.

Qualiter his respondeant.

Lib. de orthodoxa fide 3. ap. 9. in principi.

Ibid paulo inferius.

Ibid paulo inferius.

Hæc autē in hunc modum determinant : quia cum dicitur aliud verbū Dei, aliud homo, siue alia substantia De^o, alia homo: alterius naturæ significatur Christus esse inquantū est homo : & alterius inquantū est De^o : & aliud natura qua est homo, aliud natura qua est Deus. Vt n. ait Ioan. Damasc. inconuersè & inalterabiliter vnitæ sunt adinuicē naturæ: neq; diuina distante à propria simplicitate, neq; humana aut conuersa in deitatis naturā, aut in non existētiam diuisa: neq; ex duabus vna facta cōposita natura. Cōposita n. natura neutri earum ex quibus cōponitur naturis homouisia, i. consubstantialis esse pōt, ex alteris perficiens alteram: vt corpus ex quatuor elementis compositum, nec ignis nominatur, nec aër, nec terra, nec aqua, nec horum alicui homouision dicitur. Si ergo secundū hæreticos Christus vnus cōpositæ naturæ post vnionē extitit, ex simplici natura conuersus est in cōpositam: & neq; patri simplicis naturæ existenti, neq; matri est homouisios: & neq; Deus neq; homo denominabitur, sed Christus solū: & erit hoc nomen, scil. Christ^o, nō personę ipsius natura, sed vnus secundum ipsos compositæ naturæ: nos autem Christum non vnus naturę compositæ dogmatizamus, & hoc nomē, scil. Christus, personę dicimus non monotropos, i. est, vno modo dictū: sed duarum naturarum esse significatiuā scil. deitatis & humanitatis. Ex Deitate autē & humanitate, Deū perfectum, & hominem perfectum eundem & esse & dici, ex duabus & in duabus naturis confitemur. Si ergo dicitur aliud esse filius Dei, aliud filius hominis: quia alterius est substantiæ vel naturæ inquantū est filius Dei, & alterius inquantū

tum est filius hominis: non quod ipse filius Dei & hominis sit duo illa diuersa, id est duae diuersae naturae.

Auctoritate confirmat determinationem. G

Aperte n. Hilarius in 9. libr. de Trin. ait, Cum non aliud sit filius hominis: neque aliud filius Dei: *Ad medium* *9. lib.* verbum n. caro factum est: & cum ille qui filius Dei est ipse & hominis sit filius, requiro quis in hoc filio hominis glorificatus sit? Evidenter dicit non aliud esse filium Dei, & aliud filium hominis. Ex qua praemissa roboratur & approbatur determinatio.

Alia etiam verba auctoritatum annotat ut determinet. H

Quod etiam dictum est, utrumque Christus est, & una persona, mouere potest lectorē: sicut & illud *Cap 7 in fin.*

quod Augustin. dicit in li. de Trin. Quia forma Dei formam serui accepit, utrumque Deus, utrumque homo. Sed utrumque Deus propter accipientē Deū, & utrumque homo propter acceptum hominem. Et illud quod idem ait in libr. de bono perseverantiae.

Qui fidelis est, in eo veram naturam humanam credit suscipiente Deo verbo ita sublimatam, ut qui suscepit & quod suscepit una esset in Trinit. persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo & in homine veritatem: Si autem qui suscepit & quod suscepit una esset persona, ergo natura humana cum verbo est una persona. Sed haec omnia ex tali sensu dicta fore tradunt, ut utrumque dicatur esse Christus & una persona: quia in utroque vnus Christus & una persona subsistit. Ita etiam susceptum cum suscipiente dicitur una persona, quia susceptum suscipienti est sociatum in unitate personae, non ita ut caro & anima sint vnus Deus: quia ut ait Hieron. Verbum est Deus, non caro assumpta. Et Ambros. in libr. 3. de spiritu S. ait. Aliud est quod assumptum est, & aliud quod assumptum est.

Hic serm. de Assumptione ante medium tom 4. Ambr. in fin ca. 9. lib. de incarnationis dominica sacramento tom. 2.

Hic quandam ponit auctoritatem, quae multum videtur huic sententiae opposita.

M m 5 EST

Aug. li. 3.
ad princ. ca.
10. contra
Maximin.
hereticum.

Est autē & aliud q̄ huic sententiæ plurimum videtur obuiare. Ait n. Aug. in li. 1. cōtra Maximinū, Christus vna persona est geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est: nec tamē Deus vel homo, pars huius substantiæ dici potest, alioquin filius Dei De⁹ anteq̄ susciperet formam serui non erat totus, & creuit cum homo diuinitati ei⁹ accessit. Ecce Deū dicit non esse partem illius personę. vnde videtur illā persona non constare Deo & homine. Ad quod etiā illi dicunt, illam personā non ita constare ex Deo & homine, quasi totum ex partib⁹. Ita n. partes alicuius totius conueniunt, vt ex illis quod nō erat constituatur. Non autem sic humana & diuina natura in Christo vniuntur. Inexplicabilis n. est istius vnionis, quę non est partium ratio. Quidam tamen nomine Dei ibi personam significari putāt, quia de tribus agebat personis, quarum nullam Trinitatis partem esse dicebat, sicut pars isti⁹ personę non est Deus. Quod si de persona intelligatur, manifestum est, quia persona non est pars personę. Posita est diligenter sententia secunda, & eius explanatio: cui in nullo vel in modico obuiant auctoritates in tertia sententia inductę, quę iam consideranda est.

*Tertia sententia, quę sit præmissarum propositionum
intelligentia.* K

IN hac ergo sententia sic dicitur, Deus factus est homo, quia hominē accepit, sic dicitur esse homo, quia hominē habet, vel quia est habēs hominem: & homo factus Deus, quia assumptus est à Deo: & homo esse Deus, quia habens hominē est Deus. Cum ergo dicitur Deus est homo, vel habitus prædicatur vel persona, sed humanata. Et quia personā humanatā prædicatur, Cassiodorus ostendere videtur dicēs. Fact⁹ est, vt ita dixerim, humanatus Deus, qui etiā in assumptione carnis Deus esse nō destitit. Quod tñ variè accipi potest, vt dicatur De⁹ factus humanatus:

tus: vel Christus factus Deus humanatus, vtrunq;
enim sanè dici potest. Cum ergo dicitur factus est
Deus homo, multiplex secundum istos fit intelli-
gentia: vt naturam humanam accepisse, vel huma-
natum verbū esse incepisse intelligatur. Nec tamē
si incepit esse humanatū verbum ideo sequitur q̄
inceperit esse verbum: nec si Deus fact⁹ est huma-
natū verbum: sequitur quod factus sit verbum si-
cut de aliquo dicitur. Hodie iste cœpit esse bonus
homo, vel factus est bonus homo, nec tamen ho-
die cœpit esse homo, vel factus est homo.

Quo sensu secundum istos dicatur prædestinatus

Christus.

L

Secundum istos dicitur Christus, secundum
q̄ homo, prædestinatus esse filius Dei, quia est præ-
destinatum à Deo ab æterno, & in tempore colla-
tum est ei per gratiam, vt ipse ens homo sit filius
Dei: hoc n. non semper habuit, sed in tempore per
gratiam accepit. Quod videtur Aug. notasse in lib.
ad Prosperum & Hilarium dicens, Prædestinatus
est Iesus, vt qui futurus erat secundum carnē simi-
lis David esset in virtute filius Dei. Hic etiam cum
dicitur Christ⁹ minor patri secundum q̄ homo se-
cundum habitum hoc intelligunt dictum, id est,
inquantum habet sibi hominem vnitum. Vnde
Augustinus in 1. lib. de Trinitate, Deus filius Deo
patri natura est equalis, habitu minor. In forma n.
serui minor est patre. In forma Dei, æqualis est pa-
tri: & quia secundum habitum accipienda est in-
carnationis ratio, ideo Deum humanatum, non
hominem deificatum dici tradunt. Vnde Ioan. Da-
mascenus. Non hominem deificatum dicimus, sed
Deum hominem factum.

Quod non debet homo dici dominicus.

M

Et licet dicatur homo Deus, nō tamen congruē
dicitur homo dominicus. Vnde August. in lib. re-
tract. Nō video vtrum rectè dicatur homo domi-
nicus,

*In li de præ-
dest. sanct.
cap. 15 post
medium &
c. 7. in 10. 7.*

*Aug. in fine
cap. 6.*

*Lib. de or-
thodox. fide
3. c. 2. ad fin.*

nicus qui est mediator Dei & hominum Christus Iesus, cum sit utriq; dominus & hoc quidem ut dicerem, apud quosdā legi Catholicos tractatores. Sed ubicunq; hoc dixi, dixisse me nollē. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamuis nōnulla à me posset idem ratione defendi. Secundum istos etiā dicitur persona filii in duabus & ex duabus existere naturis, secundum adhærentiam vel inherēntiam; altera enim inheret ei, altera inest.

Quod prædicta non sufficiunt ad cognoscendam hanc questionem.

Satis diligenter iuxta diuersorum sententiam, suprapositam absque assertionē & præiudicio tractauimus questionem: veruntamen nolo in tanta re tanquam ad cognoscendum difficili, putare lectorem istam sibi nostram debere sufficere disputationē: sed legat & alia fortē melius considerata atq; tractata: & ea quę hic moueri possunt, vigilantiore atque intelligentiore, si potest mente discutiat, hoc firmiter tenens, quod Deus hominem assumpsit, homo in Deum transiit non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione: ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumēdo hominē, nec homo in diuinam glorificatus in Deum: quia mutatio vel versibilitas naturæ diminutionem & abolitionem substantiæ facit.

AN DIVINA NATURA DEBEAT DICI
nata de virgine.

DISTINCT. VII.

*Qualiter
per unionē
diuersarum
naturarum
in Christo
fiat commu-
nicatio indi-
matum &
proprietas
resipientiū
naturam.*

POST prædicta inquiri debet, utrum de natura diuina concedendum sit, quod de virgine sit nata: sicut dicitur in virgine incarnata. Et videtur utriusque non debere dici nata de virgine, cum non sit nata de patre. Quæ n. res non de patre genita, non videtur de matre nata: ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate quæ illud nō teneat in diuinitate. Videtur tamen posse probari, quod sit
nata